

Heinrich Niederhof Eberhard Pöppelbaum

Disputatio Tertia De Nuptiis

Rostochi[i]: Pedanus, 1619

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730636933>

Druck Freier  Zugang



Inver.

Niederhoff, Heinrich

Rear: Pöppelbaum, Oberhard

R. M. jür. 1619







01

Disputatio Tertia

1875

DE
NUPTIIS

Quam

AUXILIANTE JEHOVA

*Autoritate & permisso amplissimi Fctorum
ordinis in celeberrima Rostochiana*

PRÆSIDE

HENRICO Niederhoff


Hervord. Westph.

Dnn. suis collegis, horis ac loco consuetis
ventilandam exhibet

EBERHARDUS Pöppelbaum

Rintellâ Schaumburg.


Ad diem 9. Decemb.



ROSTOCHI

Excudebat Joachimus Pedanus Acad. Typog.

ANNO M. DC. XIX.



Handwritten signature or note

29356

244344



V I R O

*Magnifico, Reverendo, nobilissimo
maximèq; strenuo*

DN. IOANNI à Schorlemer
Cathedrall: Ecclesiarum Osnaburgicæ ac
Mindanæ respectivè Præposito, & Cano-
nico spectatissimo, studiorū meorum pro-
motori ac patrono magno, perpetuoq;
honoris observantiæq; cultu reve-
rentèr suspiciendo,


NEC NON

*Virtute multarumq; rerum usu togæ Martisq;
tempore conspicuo Viro*

DN. RUDOLPHO Krecfen
Episcopatus Mindensis signifero meritif-
limo ac præfecto speciali vigilantiss:
fautori meo colendo.

Exercitium hoc Academicum

*In debite reverentiæ gratiq; animi contes-
tationem submisit*



Dedico, inscribo,

EBERHARDUS Pöppelbaum.

1472. 10. 102

Thesis I.



Mnis quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, cum debeat à definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur, monente Cicero-
ne i. off. Itaq; de nuptijs acturi, quid sint, meritò præmittimus.

II.

Nuptias itaq; maris & foeminae legitimam conjunctionem, quæ omnis vitæ consuetudinem contineat individuum, definimus. *S. 1. Inst. de patr. potest. l. 1. ff. de rit nupt.*

III.

A nuptu, id est, operiendo & velando nuptias deducit Varro. *4. de ling. Festus, Isidorus Wes. in par. num. 1. h. t. Gothofr. ad l. 1. eod.* Unde liquet nuptias festivitatem & ritus nuptiarum potius denotare *t. t. de rit. nupt.* quam ipsum conjugium, quare ut diversa sæpè ponuntur. *si adversus 12. & ibi Wes. Inst. h. t. Boët. in Top. Gell. lib. 3. cap. 2. lib. 18. cap. 6. Cuj. 6. obs. 32.*

IV.

Veteribus a istis ritibus antiquatis hodie nuptiæ conjugium, matrimonium ac connubium promiscuè sumuntur. *d. S. 1. Inst. de patr. potest. & ibi Wes. & in par. h. t.*

A

num.

num. 1. vid. l. 3. C. de incest. nupt. Ulp. 5. §. 2. & seq. l. 2.
& 11. ff. h. t.

V.

Definitione supra proposita *μαρτυρία* ut omni juri
tam divino, quam humano, contraria, rejicitur *Gen. 1.*
vers. 27. c. 2. v. nlt. Matth. 19. v. 4. l. 18. C. ad L. Jul. de a-
dult. l. 2. C. de incest. nupt. l. 1. de his qui not. inf. Menoch.
2. arbitr. jud. qq. cent. 5. cas. 420. Wurms. in pract. obs. tit.
36. obs. 7. Hartm. Hartm. tit. 33. de matr. obs. 7.

VII.

Contrahunt nuptias tantum cives Romani l. 3. C. de in-
cest. nupt. Novell. 22. c. 10. Ulp. 5. §. 7. & 8. *juste ætatis l. 4.*
ff. h. t. l. 10. de condit. & demonstr. c. ult. X. de despons. im-
pub. solo consensu pr. Inst. h. t. l. 2. l. non cogitur. 21. ff. eod.
l. nuptias ubi Decius & Regulista de R. J. l. cui fuerit ff. de
condit. & demonstr.

VIII.

Consensum non tantum coeuntium, c. licet de spons.
duor. sed etiam quorum sunt in potestate, adhiberi jura
volunt l. 3. l. 16. §. nepote l. 18. l. filius. 35. h. t.

VIII.

Idq; tam juris divini *Gen. 24. & 27. Exod. 21. Ierem.*
29. Heig. ad pr. h. t. num. 13. quam Cæsarei d. l. 2. l. si nepos
h. t. l. sponsalia de sponsal. l. unica. §. 1. C. de rapt. virg. l. nec
filium l. si ut proponis C. de nupt. & canonici necessitate
c. vidua 27. q. 2. c. qualis. 30. q. Coras. 1. miscell. 17. & 7. c.
29. Oldend. 4. Class. act. 26. Duar. ad tit. solut. matr. locu-
pletissimè Dn. Cöthm. resp. 1. Borch. de grad. t. r. quem contr.
matr. Diss. Costal. in d. l. 2. h. t. Decius ad l. nuptias num. 8.
de

de R. J. aliter Anton. Guibert. in tract. de spons. & matr.
& in memorab. jur. quest. cap. 12. qui in tanta est haresi ut
nullo jure consensum requiri d d. loc. scribere non erube-
scat.

IX.

Tacitum consensum etiam sufficere arguit. l. 7. §. 1.
de spons. l. 5. C. de nupt. c. cum apud. 14. de spons. c. un. de de-
spons. impub. in 6. Wes. in par. n. 3. h. t.

X.

Tali consensu non adhibito clandestinum dicitur
matrimonium, quod licet omnia jura improbent per text.
in th. 7. & 8. & t. t. de clandest. despons. c. nec. illud 3. q.
5. Schurff. cons. 1. n. 4. & 8. cent. 1. contractum tamen non
dissolvi debere æquius ceu mitius nonnulli putant. per c.
fin. 28. q. 1. c. nec illud §. sed obijcitur 30. q. 1. Schurff. d. loc.
n. 4. Wes. in par. h. num. 3. Heig. ad pr. h. t. n. 28. Vult. t.
J. R. 18. num. 95. Schneid. h. t. part. 2. n. 26.

XI.

Ratihabitio in alijs contractibus quidem retrotrahi-
tur & consensum adimplet. l. fin. C. ad SC. Maced. c. rati-
habitio de R. J. in 6. l. Pomponius de negot. gest. in nuptijs
id sibi locum non vendicabit pr. Inst. in verb. precedere h.
t. l. Paulus 11. de stat. hom. l. si uxor 13. §. si quis. ad L. Jul.
de adult. l. 65. §. 1. l. 34. h. t. arg. §. tutor. Inst. de auth. tut.
Cuj. 3. obs. 5. Dn. Coth. d. resp. 1. numer. 72. & numer. 237.
Hott. illustr. quest. 9. Arum. in exerc. ubi plures rationes
adfert.

XII.

Per emancipationem sui juris effecti injussu paren-
tum nuptias contrahere lege civili non vetantur.

A 2

text.

*texti. expressus in l. 2. & 3. l. 25. ff. h. t. pr. Inst. eod. l. 3. §. 5.
de. bon. poss. contr. tab. Gotho. ad all. l. 25. Dn. Lindem.
praeceptor summâ observantiâ colendus in exercit. disp. 1. tit.
de nupt. thes. 5.*

XIII.

Eadem ratione moti nec matris jussum, nisi in nuptiis filiae minorennis, auxilio patris destitutæ, l. 1. & l. in conjunctione 20. C. h. t. Borck, de grad. p. 53. Hottom. illustr. quest. 9. de necessitate civili exigimus Jac. Cuj. juris interpretes acutiss. 3. obs. 5. Dn. Lind. d. loc. licet divini juris intuitu aliud dicendum, quo par honor utriq; parenti exhibendus. Heig. p. 1. quest. 22. numer. 58. Schneid. part. 2. n. 38, h. t.

XIV.

Præter consensum ad matrimonij essentiam quidam Dd. deductionem in domum mariti hodie falso requirunt. propter l. 30. de R. J. l. 27. C. de nupt. l. 66. de donat. iter vir. & uxor. Novell. 203.

XV.

Cum non consentiât, qui erret, teste Jcto in l. 15. ff. de jurisd. itaq; hinc merito errorem (distinctionis tamen gradibus minimè neglectis) removemus. c. tua de spons. c. unico 29. q. 1. c. opposuit de conjug. serv. arg. l. 11. de contrah. empt. Covar. part. 2. C. 3. §. 7. Treutl. vol. 2. disp. 6. th. 6. litt. F. Wesf. in par. h. num. 8.

XVI.

Quo fundamento asserimus quod ignoranter ab alio compressam ducens, eam retinere non cogendus Dn. Luth. in lib. caus. matr. art. 4. Wigand. de divort. tt. de spons. & stupro p. 162. Beza in tract. de divort. Schurff. conf. 9. aert.

genti. 3. Reusn. lib. 1. consult. quæst. 5. n. 78. Disf. Kling. de
matr. p. 14. & Canonista quamplurimi prolixè Wesenb. in
par. h. n. 8.

XVII.

Nec minus matrimonium impedit metus sed non qui-
cunq; l. metum ff quod met. causf. non reverentialis l. si pa-
tre 22. ff h. t. Covar. p. 2. c. 3. § 6. num. 30. Beust. 2. part. ma-
trim. cap. 44. Geil. 2. obs. 93. sed justus in hominem con-
stantem cadens c. significavit qui juxt. in matrim. Covar. d.
loc. § 5. in pr. Panormit. num. 7. de spons. & matr. Bez. in
d. tr. p. 82.

XVIII.

Ebrii cum vitam edormire dicantur; nec in ijs ullum
vitæ gerendæ rectum consilium, ut nec gestorum memo-
ria Geil. 2. obs. 110. n. 24. Unde species furoris ebrietas
dicitur, cum omnem mentis rationem & judicandi facul-
tatem auferat Wesf. in par. h. n. 8. & ad L. Corn. de sicar.
numer. 24. ideo vino ita obruti matrimonium minus re-
ctè contrahunt. Cautè tamen agendum Dd. monent.
Canonista in c. dilectus de spons. Beust. de spons. c. 11. Sturtz.
ad l. nuptias n. 32. & seq. de R. J.

XIX.

Nuptias contrahere cum sit de permissivis; ceu pro-
hibitorium certarum personarum, omnibus concessum,
quæcunq; prohibitæ non reperiuntur c. cum apud sedem
23. de spons. & matr. arg. l. cum prator 12. de jud.

XX.

Prohibentur vero ob necessitudinem eamq; cogna-
tionis vel affinitatis Treutl. 2. vol. disp. 6. th. 2. cui tertiam
prohibitionis causam scil. publicam honestatem quæ ma-

ximè in nuptijs respicienda l. 42. b. t. adjungimus. *Dn.*
Lindem. d. tit. th. 9.

XXI.

Inter descendentes & ascendentes cognatio, est prohibitionis infinitæ §. 1. *Inst. b. l. 17. C. cod. l. 53. l. ult. ff. eod. Ulp. in fragm. s. §. 5. add. tit. C. de incest. nupt.*

XXII.

Idq; ad cognationem civilem ceu legitimam quasi LL. duntaxat, id est, juris potius quam sanguinis communione constitutam, & per emancipationem etiam dissolutam extendimus l. 14. l. 55. ff. b. t. d. §. 1. b. t. & ibi *Dd.*

XXIII.

Inter collaterales prohibitio tanta non est cum firratio longè diversa §. 2. b. t. Ideo nuptiæ jure civili ad quartum usq; gradum prohibitæ sunt. *Dn. Lindem. d. loc. thes. 8.*

XXIV.

Juris vero canonici graduum computatio quoad collaterales alia est c. cum sedem 35. q. 5. quam Beza de divort. p. 24. *Borch. de grad. pag. 10. Hottom. de cast. incest. nupt. part. 1. cap. 3. & alij Dd. in dubium vocant, nos tamen eam, ut in foro & judicio receptam, haut contemnendam putamus.*

XXV.

Transversales, qui parentum, liberorumq; loco sibi sunt, non rectè junguntur l. 39. ff. b. t. Quæ ratio etiam in cognatione legitima hoc in casu durat, ut in th. 22. dictum per §. item amitam §. *Inst. b. l. 17. §. amitam. ff. eod. l. qui in*

qui in adoptionem 23. de adopt. In reliquis vero adoptatis,
si emancipantur, secus est. §. 2. Inst. h. l. 17. ff eod.

XXVI.

Naturalis sororis seu fratris filiam ita & neptem, ob
rationem in præced. positam ducere prohibemur. Quod
tamen non extendendum ad adoptivæ sororis filiam.
§. 3. h. t. 4.

XXVII.

Quantum gradum regulariter prohibitionem non
habere jura & exempla docent Gen. 28. vers. 2. 29.
vers. 23. & 28. §. duorum inst. h. l. si nepotem 3. l.
non solum 57. §. 1. ff eod. l. 19. C. eod. Duar. h. t. cap. inter
quos contrah. p. 248. col. 1. Reusn. 1. consult. quest. 3. n. 45.
cum seq.

XXVIII.

Servilis cognatio de jure civili nulla, per l. 32. de R. J.
nuptijs tamen eam impedimento esse constat per l. 14. §.
2. ff h. t. §. 10. Inst. h. arg. d. l. 32.

XXIX.

Affinitatis quoque ratio habenda est. §. affinitatis Inst.
h. c. non debet X. de consang. & adfin. Ad exemplum enim
cognitionis gradus affinitatis finguntur, nullis aliis ea
definita l. 4. §. gradus ff de grad. Vult. 1. J. R. c. 8.
numer. 71.

XXX.

Est autem ea duntaxat inter maritum & uxoris co-
gnatos & uxorem ac mariti cognatos Vult. d. c. 8. num. 70.
nam secundum affinitatis genus, excepta tamen linea
recta juxta Interpp., jure canon. sublatur.

Aliud

XXXI.

Aliud contractus, aliud pactum de contrahendo. Itaq; affinitas per sponsalia proprie non contrahitur; e-
jusmodi tamen inducitur honestas, quæ matrimonium
impediat *§ 9. h. t. l. 12. §. 1. & 2. ff. eod.* Quod impedi-
mentum publicæ honestatis causa introductum.

XXXII.

Et alia impedimenta tam animi, quam corporis LL.
agnoscunt. Hinc furiosus *l. 8. C. de spons. l. si cum dotem,*
22. § maritus ff solut: matr. l. patre & d. his qui sunt sui vel al.
c. dilectus 24. X. eod. impotentes. l. in causis 10. C. de re-
pu d. t. X. de frigid. & males. ac deniq; impuberes prohi-
bentur pr. Inst. h. t. l. questum §. l. 14. ff. de spons. c. ult. de
despons. impub. nisi vigor naturæ ætatem suppleat c. de illis
& all. c. ult. d. t. c. juvenis de spons.

XXXIII.

Ex legitimis nuptijs maritalis potestas jure divino,
Genes. 3. & 24. Levit. 22) 1. cor. 11. Eph. 5. consuetudina-
rio & saxonico oritur vid. Wesenb. in par. h. numer. 6. &
Dd. alleg.

XXXIV.

Ratione istius potestatis mulier vagabundum mari-
tum sequi non tenetur, nisi eum talem esse ab initio sci-
verit *Covar. in Epit. p. 2. c. 7. n. 5. Tiraquell. de LL. connub.*
n. 39. Kling. fol. 95. & seq. Schneid. part. 3. n. 47. Beust. de
matr. cap. 32.

Injustas

XXXV.

Injustas nuptias scientes *l. ult. ff. h. t. vel juris ignorantia ducti, t. t. de jur. & fact. ign. contrahentes, poenis LL. merito subjiuntur* *S. si adversus ea. Inst. h. l. 52. ff. eod.* Liberi enim nati pro legitimis non habentur, in tantum, ut ne alendi sint. *Auth. ex complexu C. de incest. nupt.* Quamvis æquitas canonica contrarium suadeat *c. cum haberet X. de eo qui dux. quam per adult. AZo in sum. Cod. de nat. lib. Menoch. de arb. jud. quest. lib. 2. cas. 169. num. 8. Geil. 2. obs. 88. num. 4.* Idq; etiam in consistorijs reformatis servari, notat *Joach. Beust. de matr. c. 60. vid. Grass. Institutio. quest. 7. n. 6.*

XXXVI.

Aliæ etiam poenæ nuptijs prohibitis, ut delictis consummatis, manent *l. 6. cum seq. C. de incest. nupt.*

XXXVII.

Contractum consummatumq; matrimonium solvitur morte & divortio: hujus veras ac proprias causas, adulterium tantum *Matt. 19. v. 9. c. significasti de divort. c. Apostolus c. fieri potest 32. q. 7. l. consensu 8. C. de repud. Novell. 117. c. 8. & 9. Beza d. loc. in pr. VVes. in par. h. n. 8. & de divort. & rep. n. 9. & malitiosam desertionem statuimus 1. cor. 7. v. 15. Philip. in tract. de conj. Godd. de U. S. in l. 101. §. 1. n. 1. Borch. de grad. c. quomodo solut. matr. fol. 127. Schneid, h. part. 9. n. 32.*

XXXVIII.

Parti innocenti in utroq; casu nova vota iterum permitenda *1. cor. 7. v. 15. Borch. d. grad. Kling. de matr. fol. 103. ubi utramq; sententiam quidem refert, sed nihil certi decidit*

B

Schneid.

*Schneid. h. p. 4. n. 32. & 44. Wes. in par. de divort. ubi in perso-
na nocente, certis tamen LL. adjectis, idem observandum
tradit; cui ad stipulamur. Diss. communiter canon. Panor. in
c. gaudemus de convers. conjug. n. 2. Præpos. in c. dominus
de secundis nupt. & alij, qui separationem quoad thorum &
cohabitationem tantum admittunt. Quod quidem ratione
nimix viri sævitix verum statuunt Menoch. de arbitr. jud.
qq. lib. 2. cent. 2. caus. 159. n. 5. Schurff. 1. cent. conf. 52. r. 3.
Cuj. Novell. 22. Schneid. d. loc. n. 18. cum seq.*

XXXIX.

Deserta persona quamdiu post discessum deserentis
teneatur expectare cum jura mirè varient. Ideo judicis
arbitrio id determinandum relinquimus *Maldrad. post Sa-
licetum § de spons. fol. 23. Schneid. d. p. 4. n. 46.*

XL.

De impotentia quid sentiamus supr. in posit. 32. po-
suimus. Cui nostræ sententiæ ea, quæ Dn. Chemnit.
Theologus ille magnus. *part. 3. loc. com. p. 58. scribit, ad-
jungimus Beust. p. 2. q. 14. & seq. Trentl. d. disp. 6. th. 8.
litt. cA.*

XLI.

Plures divortij causas, præter traditas in th. 37. ad-
didērunt *Imp. in l. 8. & tit. C. de divort. Novel. 22. c. 15.
§ r. ut & alibi.* Sed harum, aliæ à magistratu pio admitti
nequeunt; aliæ sunt delicta, capitali pœna afficienda,
quod si fiat, quæstione illa opus non est.

Πάρεργον

I.

Ob dotem promissam, non tamen solutam, expelli mulierem non posse statuimus.

II.

Pañtum de mutua lucracione dotis & donacionis propter nuptias, de jure licitum & concessum.

III.

Per subsequens matrimonium legitimati jura suorum consequuntur & pariter cum eis succedunt. Verum ad feuda utrum hoc extendendum, questio ardua est. Nos sententia affirmativa subscribimus, licet hanc inelegantibus fundamentis Hottom: & Giphanius eam in dubium vocent.

IV.

Filia absq; consensu patris nubens dote indignam se reddit: ideo patrem ad dotandum cogere nequit.

V.

Legatarius si moriatur ante conditionem existentem, ad heredes nihil transmittit.

VI.

Ex decenniali aut longiori locatione dominium, quod utile vocant, non transfertur.

Posses

VII.

Possessionem, cum Cajacio in not. per quas person. cuiq; acquir. in naturalem, civilem & corporalem dispeſcimus.

VIII.

Numquid is, qui monetam vilissimi valoris euderit, pœnal. 2. C. de fals. monet. mancipandus, vel mitiori supplicio afficiendus sit? Hoc adstruimus.

IX.


Cadaver hominis interfecti si sanguinem effundat in presentia ejus, qui de homicidio suspectus est, an sit iudicium ad torturam? N.

X.

Incantatorum vel ariolorum divinationem ad torturam indicium minus sufficiens concludimus.

XI.

In pecunia non solum impositivus, ut Donellus & alij Dd. contendunt, sed etiam intrinsecus valor attendendus.



Dn.

3
Dn. EBERHARD O Pöppelbaum /

Consanguineo suo dilecto de Nuptijs disputaturo.

Virtuti villam præfert, Artibus aurum,
Agri qui tantum, quantum vix quattuor horis
Milvus oberrat, habet, culti: & crescentia tecta,
Molibus & tignis, rutilo minitancia olympo
Incolit; hic satagit primorum primus haberi.

Sed qui iudicij modulis ac pondere recto
Utitur, ac novit: DIDICISSE FIDELITER ARTES,
Quid sit? quò valeat? vitæ & quem præbeat usum?
Hic subitò: MUSA DULCES ANTE OMNIA, clamat
Nam quod divitiæ, nec copia præstitit auri,
Id præstat sapiens, & cui perfecta disertus
Ora madent verbis, sunt pectora & artibus aucta.

Sentis idem EBERKHARDE (mei qui portio cordis)
Et tribuis studijs penitos in corde calores.
Totos sæpè dies vidit Te phœbus Apollo
Indulgerè libris, totas Proserpina noctes:
Quæis tibi quod partum, modò propugnare laboras.
Quod crenâ, quod voce probas, dum pulpita scandens
Intritas tricas, & vana sophismata solvis.

O! quàm te canerem, possem modò præside Phœbo,
Valdior & lentos impleret Spiritus artus:
Crede, laborarem vivis intexerè chartis
Nominis incrementa tui, Virtutis & Artis,
Quæ legeret sæclo veniente perfundior ætas.
Hûc tua me Virtus, hûc demiranda per omnes
Vira modos, genijq; tui me θαύματα raptant.

Marte animo quem rarus habet, claresce, virefce:
Sic tua virtutis te præmia iusta manebunt.

Φιλαδέλφιας ἢ Φιλοφροσύνης ἐργὸν, ἀνθρώπος. adclam.

M. IOHANNES CRETA,

Optimâ literaturâ præstantissimo
Dn. Respondenti, amico suo Theseâ fide
conjunctissimo.


*M. P. -
Schmid*


EXpolit egregiam virtus generosa Minervam,
Nec sinit ut crasso fessa sopore siet:
Ante focum Calidum non mens preciosa pigrescit,
Nec vitam ignava Conditione trahit:
Verùm se semper claram dimittit ad artem,
Non minus exposita est usibus assiduis:
Hoc Eberharde studes dum tempus Juris in arte
Ponis, & invigilas Thespiadum studijs.
Pergito sic famam captare & nominis auram,
Sic viret aeternum non moritura salus,
Pergito Musarum sic sic tentare triumphos,
Asperius nihilum mente premente time,
Pergito sic captare decus generiq; patriq;
Hinc hinc perge tibi conciliare decus.

ἠοῖσ' ἠεὶ δ' ἀσὶ gratulatur


HERMANNUS MEIERUS
Blombergâ Westphalus.














the scale towards document

Πάρεσσι.
I.

promissam, non tamen solutam, ex-
non posse statuimus.

II.

mutua lucracione dotis & donatio-
tias, de jure licitum & concessum.

III.

uens matrimonium legitimated jura
untur & pariter cum eis succedunt.
da utrum hoc extendendum, questio
Nos sententia affirmativa subscribi-
inelegantibus fundamentis Hottom:
eam in dubium vocent.

IV.

consensu patris nubens dote indi-
ideo patrem ad dotandum cogere

V.

si moriatur ante conditionem exi-
edes nihil transmittit.

VI.

ali aut longiori locatione dominium,
ant, non transfertur.

Posses-